



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Mariae Virginis Sacratiss. Miracvlorvm Libri Tres**

**Vismara, Ercole**

**Mediolani, 1579**

Mirac. Virg. XXXV. Opem latroni misericordiae mater affert; qui postea ualde poenitens è uita exceßit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64305)

tebatur. Sed Virgo cui, dū occisus est, se cōmiserat licitor, eū dignū esse, cui Christus placaretur testata est. Dulcissimae parenti omnino morem gerere decreuit filius iudex; ea tamen lege, ne iniuste cum aduersariis actum dici posset. Interim animā ad licitoris corpus redire iussit, ut illuc laetū iret peccata: censuitq. uti a summo Pontifice publica precatio pro istius salute institueretur. Virgo ipsa, illic latentem sacerdotē accersuit, illiq. edixit, ut de filij sui uoluntate in ea re Pontificem certiozem faceret. Quinetiam Sacerdoti tam eximiae pulchritudinis rosa relicta est; ut ea uisa, statim illius uerbis maximus Pontifex fidem adhibuerit, qui nihil moratus, quod Christi uerbis fuerat iussum, re ipsa praestitit.

MIRAC. VIRG. XXXV.

*Opem latroni misericordiae mater affert; qui postea ualde poenitens è uita excessit.*

**F** Amosus latro, qui nihil unquam boni in longa aetate gesserat, diuino afflatu adductus, die Virgini dicato, semel tantum ieiunauit, & rem diuinam ad eiusdem Virginis memoriam, semel faciendā curauit; ut ab ipsa misericorde ante mortem respiciendi facultas daretur. Eius uotis annuens ipsa, aper tissimis signis indicauit, à filio impetratum fuisse, ut ante quā mortem latro obiret, quinq. uerba posset effari, quib. omnis peccatorū macula elueretur. Paucis post dieb. ille in carcerem compactus, mortis supplicio damnatus est. Dum ad suspendium deducere-

tur,

tur, ei à Christo is animus datus est, ut mirum in modum admissorū scelerū dolorem angeretur: quo tēpore quinque illa Euangelici publicani uerba maxima animi propensione enunciauit: Deus propitijs esto mihi peccatori. Cum Deo igitur in gratiā rediit; & ab aeterna morte ereptus est, re, & opera Virgine adiuuante.

MIRAC. VIRG. XXXVI.

*Christi gratia monaco conciliatur, qui in peccatum prolapsus fuerat.*

**P**ius uir, & integer Cistelli ordini se dicauerat, ubi diū purè, & castè uitam degit. Tandem Sanae astu, & fallacijs in peccatum prolapsus est. Illum peccasse, rumor erat; & malè apud multos audiebat. Is interim ad se rediens, dolore maximo diuulsus, ad Virginem miserorū perfugium, confugit; & flens eam obtestari, & implorare non desistit, ut sui miseresceret. Iam diu in luctu, & aerumnis uersatus erat, plurimumq. doloris ob illud crimen hauserat, cū deinde ualde precationi intentus, uidere uisus est ipsam aeterni regis filiā, cuius in sinu lactens puer erat, prae hominum filiis pulcherrimus. Obscra- batur puer à matre, ut eius delicti expiandi facultas daretur; uti monachus eam posset inire gratiam: qui etiam itidem uehementiùs illum orare nō desistebat. At, licet sanctus puer os, & uultum auerteret, quasi renuens; impetrauit tamen precib. suis mater, ut semel in miserū oculos defigeret. Itaq. coenobitae omnium criminum nota solo infantis obtutu deleta est.